

S. XVIII  
1704 (6)

MARCUS ANT. DE ORELLANA  
EMMANUEL LASSALEÆ.

*D*e Margarita quæ scribis divite vena,  
Accepi, Emmanuel, carmina docta libens.  
Non semel, at gaudens iterumque iterumque relegi;  
Ac tua Musa placet, quæ mihi nota diu.  
Nil ibi non gratum, nil non laudabile, nil non  
Virtuti appositum, moribus atque bonis.  
Innumeræ grates refiero, te namque magistro,  
Versibus argutis instruor ipse tuis.  
Absint blanditiæ; quis enim tua carmina nescit?  
Te mira ingenii dexteritate frui?  
Te sibi, te socium voluere Bononia, Roma;  
Te ingenio celebrant, hoc ubicumque valet.  
Plurima scripsisti; non ulla tibi extera lingua est,  
Nullaque rara tibi est extera materia.  
Perge igitur, quando accensus virtutis amore,  
Divinæ hoc prodis nunc pietatis opus.  
Te Margaritæ præsens non deseret unquam  
Auxilium, deerit nec tibi laudis honos.

## M A R G A R I T A.



## EPIGRAMMA.

Margarita, nocens primum, te postea noscisti  
Gratia mira Dei! Gloria rara tui!

Margarita procul longis erroribus acta,  
Quam mira arte viam arripuit, tenuitque salutis,  
Nunc canere aggrediar. Tu, quæso, voce canenti,  
Margasita, fave: longe absint ere profano  
Numina Pieridum; longe absit Phœbus Apollo,  
Et quæ vana sibi finixerunt somnia vates.  
Tu mihi, Diva, fave, numeris ut scribere tentem  
Divinæ pietatis opus mirabile dictu,  
Et magis inde tuas ego possim accrescere laudes.  
Laudabunt alii Reges virtute superbos,  
Invictosque Duces, qui, fusis hostibus, ultra  
Protracto imperio, claros duxere triumphos.  
Femineam grandem illam animam exeruisse virilem  
Vim laudabo, & mollis ineluctabile robur  
Pectoris; ut cœcos est ausa libidinis æstus  
Frenare, ardentesque animi componere motus,  
In melius mores convertens: quippe seipsum  
Vincere, non alias premere hostes, maxima laus est.  
Finibus Etruscis jacet urbs, quam nomine dicunt

Montis Politiani, urbs non ignobilis: illic  
Margarita procul patria urbe, domoque paterna,  
Constiterat, lastamque nova hac in sede trahebat,  
Nec scelere immunem vitam. Natura venustam  
Illi contulerat formam; splendebat amica  
Lux oculis, roseo ridebat gratia vultu.  
Spiritus ardebat quoniam juvenilibus annis,  
Ferre voluptatis comites risusque jocosque  
Illi erat in votis: quo volvens lumina cumque  
Figebat, fixos hinc iride tenebat amantum  
Illa oculos juvenum: quo gressus cumque ferebat,  
Devinctos juvenes secum alliciebat amantes.  
Hos inter dilexit eam vir nobilis urbis,  
Devinxit sibi donis, exceptique, domusque  
Constituit dominam: ingenuis ut moribus illa  
Prædita erat, nullo fastu pretiove coempta  
Gaudia reddebat; namque ipsum crimen honorem  
Credit habere suum, bona si natura vicissim  
Pignus amicitiae sine fraude doloque rependat:  
Constans illa fidem caro servabat amico,  
Ardenter longo post tempore amabat amantem.  
Delicias semel atque iterum miscebat amaro  
Virtus consilio, & media inter gaudia crudis  
Nolentem urgebat stimulus; ut robora querus

Stant concussa Noto: magis atque magis furit aestus:  
Turbinis; ast obnixa altis radicibus arbos,  
Hæret fixa solo, & contemnens murmure cœco  
Ventorum rabiem, superas se attollit in auras;  
Haud aliter miseram juvenem non ulla movebant;  
Quominus illa pedes a longo errore viarum  
Flechteret in melius: quamvis obverteret ægris  
Alma Fides oculis hinc regna beata piorum,  
Cœlestesque domos, & poenas inde nocentum,  
Infernosque lacus; torquebat lumina contra,  
Nec læta spe ducta, minis nec territa saevis.  
Scilicet insignis rigidis flore juventæ,  
Et specie formosa, & consuetudine victa,  
Effrenis delusa errabat imagine rerum;  
Qualis fertur equus porrecta per æquora campi  
Luxurians, freni impatiens non audit habenas,  
Ac ruit in præcepis. Donec volvantiibus annis,  
Fulsit pura dies, albo signanda lapillo,  
Qua mente illa hausit divinum lumen ab alto,  
Et corde accepit sanctum virtutis amorem.  
Cum peregre villam juvenis petiisset amicus,  
Margarita domum prima illum nocte reverti  
Sperabat frustra, & miseram spes vana fefellit;  
Namque ille exceptus fraude a latronibus inter \*

[ 6 ]

Desertas procul inde vias, heu, morte peremptus  
Infanda occubuit, fœdoque aspersa cruento,  
Vicina in sylva jacuerunt membra reposta.  
Nox medii currū celi convexa tenebat,  
Ac terris nigræ velum distenderat umbrae: [mantum,  
Jamque homines, volucrum & pecudum genus omnè ani-  
Sternebant placido languentia membra sopore,  
Viresque augebant, & corpora fessa levabant;  
At corde in somnos ægro non solvitur unquam  
Margarita; premens altam sub pectore curam,  
Quænam, inquit, sit causa mōræ? præsentio quantum  
Ignarae fortasse malum sors lœva minetur:  
Promisit prima venturum nocte; quid ultra?  
Expectem, quando labentia sidera cœlo  
Spem omnem præcludunt? velut in lecto jacet æger,  
Pallida cui febris arescentes corripit artus;  
Æstuat impatiens, jamque huc jam volvitur illuc,  
Nec mora, nec requies, thalami si forte supersit  
Ulla in parte sinus, quo torrida membra, calore  
Sedato, recreet: secum sic illa volutat  
Insistens casum; perculta hinc inde movetur  
Tristitiamque metumque inter, si forte resurgat  
Spes ulla, & mentem partes convertit in omnes.  
Vix autem croceum linquens Aurora cubile

[ 7 ]

Tithoni, roſeo spargebat lumine terras;  
Exurgitque thoro, mox omnia limina iuſtrat  
Interiora domus, hinc errat compita circum,  
Vicosque, triviosque urbis, vēstigia nota  
Ut legere illa queat; cursorem mittit amico  
Ad villam, qui jussa ferat referatque vicissim.  
At nec rure, nec urbe manet; nil nuncius aſſert  
Ullus, & illa mōræ nequit altam noscere causam.  
Ergo fessa domum redit, internumque cubile  
Ingressa, indulget lacrymis, gemitusque profundo  
Corde trahens: o me miseram! quisnam, inquit, amice,  
Te mihi te rapuit? longo mihi junctus amore,  
Nonne unquam sine me te vivere posse negabas?  
Te nova forte gravi laqueo te cepit amicuſ;  
Nec memori esto mei: at longe timor hic procul adſit,  
Nec mentem subeat tam feedi injuria facti;  
Est tua nota fides multos jurata per annos.  
Te prærupta errantem inter deserta viarum  
Vel ferro latrones, vel fera pessima morsu  
Forte dedere neci, ac tecum triste omnia fatum  
Abſtulit: heu funestum omen lacrymabile sævum  
Avertant superi. Quod si fors ista manet me,  
Et dispersa leves mea vota feruntur in auras,  
Importuna gravis sine te nec vita supersit.

Hæc ait; & qualis volueri confixa sagitta,  
 Cerva fugit; nigras sylvas & lustra pererrat;  
 Multa gemens, ferrumque alta inter cornua frustra  
 Concūtiens; hæret lateri lethalis arundo:  
 Haud sècus illa premit crudum immedicable vulnus.  
 Pectore, & insano curarum fluctuat æstu.  
 Sidera bis surgens Phœbus delapsa fugarat,  
 Ac toto emenso cœlo, bis pronus ad undas  
 Hesperias revocavit equos; jamque alma rubebat.  
 Tertia lux; quando videt illa venire catellam,  
 Fessam, quæ dominum fuerat de more sequita,  
 Quæque erat illi in deliciis: quasi fida propinquia  
 Nunciet adventum domini; revoluta resurgit.  
 Margarita, domus properans ad limina prima,  
 Oeyor accurrit contorti fulminis alis.  
 Postquam intenta diu, nequicquam expectat amicum;  
 Spe dejecta, oculos retro conversa, catellam  
 Respicit; ac si querat, ab ipsa noscere sortem.  
 Erepti domini: at moerens sub ventre recondit  
 Demissam caudam; nec jam ludensque, jocansque,  
 Aut trepidi circum se tollens undique saltu,  
 Illi blanditur: nunc assiduo ululatu  
 Irrequieta domum, querulis & vocibus impletu.  
 Mox membra sternit languentia, proque voluta

Illi ante pedes, jaceat quasi mortua; tristis  
 Infelix domini demonstrat imagine fatum.  
 Inde novas sumens vires, exurgit, & in ambo  
 Ore trahens vestem, ad limen conducere secum.  
 Contendit dominam. Illa hæret, pavidoque tremore  
 Anceps corripitur, funestum nescia quodnam  
 Portendant omen gemitus, misusque catellæ.  
 Hæc instans, dominam perduere nititur, oramus.  
 Vestis & affixo non cessat prendere morsu.  
 Illa, sequamur, ait: dubiis quod forte remansit  
 In rebus, quo nos ducit fortuna, sequamur.  
 Ergo ducem sequitur præuentem, & flexa tenentem  
 Lumina. Jamque urbis viros, & mœnia linquunt,  
 Et villain versus campo spatiantur aperto.  
 Omnipotens cœlo superum regnator ab alto  
 Margaritam atra vitiorum labo dolebat  
 Aspersam; & pectus vigili succensus amore,  
 Hæc secum: mihi semper Margarita resistet?  
 Contuli ego dulce ingenium, formamque venustam;  
 Ast hæc atque alia atque alia in me plurima demens  
 Convenit mea dona: mearum nec timet unquam  
 Irarum motus, nec voce inflebitur ulla.  
 Illam amo; & æterna prænosco luce, futurum,  
 Si gressum sapiens obliquo a tramite vertat,

Ut me ardenter amet, meritam sponsaque coronam  
 Accipiat, referens exempla suavis amoris,  
 Quæ dedit antiquo dulcissima Magdalisa ævo.  
 Hæc ait: & juvenem insignem fulgentibus alis,  
 Coelestem alloquitur, cui mandat jussa, ministrum:  
 Vade age, in Italiam properans, Etruria longe  
 Qua patet, invenies Margaritam: illa juventæ  
 Illecebris capitur; nunc in discrimine rerum  
 Est posita. Accedens illi, non corpore sumas  
 Mortales visus: postquam acri fixa dolore,  
 Questibus & lacrymis fatum satiarit acerbum;  
 Cum, sedato animo, funesta & noscere damna.  
 Incipiat, vana & turpis mendacia luxus:  
 Hoc age, tu præsens obscuram lumine mentem  
 Perfunde, & pectus valido tu robore firma,  
 Ut cœcos laqueos, & fortia vincula rumpat.  
 Angelus hæc audit: Zephyris per inane vocatis,  
 Ima petit: nebula obductus, mox convenit illam  
 In sylva, & positis juxta citus adstitit alis.  
 Est nemus arboribus densum: late ilice nigra  
 Frondet, & immensa foliorum extenditur umbra:  
 Hic vacuus sedet horror; opaca silentia nunquam  
 Sol adit, ac tremulæ appetit vix lucis imago.  
 Venerat huc, serpens tenuis qua semita dicit,

Passibus illa æquis, fida præente catella:  
 Hæc manet ad foveam, quam dum frondibus implent,  
 Et cavat, & spargit pedibus terram undique circum:  
 Illa tremens, dubio firmans vestigia gressu,  
 Accedit; ramos, atque aspera sentibus ægre  
 Rudera subducit fovea: improvisa patescunt  
 Attonitis oculis, heu, membra jacentis amici,  
 Ferro dilacerata, nigroque fluentia tabo.  
 Ut serpens, sole æstivo quem forte viator  
 Incautus pressit, sinuosa volumina torquens,  
 Assurgit contra, & linguam vibrat ore trisulco:  
 Ille pedem retro referens, stupet avius; horrent  
 Arrecti crines, vox imis faucibus hæret:  
 Non secus illa oculos aversa, repente tremore  
 Ignavo correpta ruit, revolutaque terra  
 Sternitur exanimis; solvuntur lumina nocte,  
 Pallor in ore sedet; frigentia membra rigescunt,  
 Et vix lanquentes quatit æger anhelitus artus.  
 Ac si nimbose de cœlo tacta jaceret,  
 Territa præcipite impropositi fulminis iœtu.  
 Illa diu jacuit; donec decrescit acerbus  
 Corde dolor, tenues revocantur corpore vires.  
 Mox sese attollens, saxo subnixa resedit;  
 Et volvens oculos, lacrymis indulget amaris,

[ 12 ]

Lamenta & gemitus alto de pectore dicit,  
Suspirans longis singulis illa pulsat:  
Inde iterum assurgit, foveaque accedit: amicæ  
Dulces exuviae, dum sors mihi læta favebat:  
Sic erat olsa loqui; nec plura deinde loquuta est.  
Hæret defixa obtutus totumque pererrat  
Vulneribus foedum corpus, madidumque cruento.  
Ut nos, cum fessos lensus sopor occupat artus,  
Somnia deludunt, veros imitantia casus;  
Mox vigiles oculorum acie res cernimus ipsas,  
Nec capti mendace movemur imagine rerum:  
Sic, postquam sistens, intenta diu ora tenebat  
Margarita, quasi somno alto excussa resurgat,  
Quisnam, inquit tandem, eheu, me circumstetit horro?  
Quæ mihi tam caræ semper dulcesque fuere  
Corporis exuviae, nunc tristi pectore quantum  
Terrorem incutiunt! fugientia lumina longe  
Averto? retroque pedem cum voce repressi?  
Tunc opportuno momento temparis utens  
Angelus, ignotus quippe ut divina facessat  
Jussa, illi adstabat; celesti luce retexit  
Errores vitæ ac terrena pericula menti,  
Et cordi flammam divini accendit amoris.  
Hinc nebula tectus, superas se attollit in auras,

[ 13 ]

Cœlestemque comis abiens spiravit odorem,  
Qualia fulgentes puri specularia Solis  
Excipiunt radios, tenui non pervia vento,  
Non hyemi; lux alma quidem transgressa tenebras  
Discutit, & vacuum tacito fovet igne cubile:  
Sic non Angelici juvenis mortalia visa  
Margarita oculis haurit, nec voce loquentis  
Excipit aure. sonos; sed noscit luce superna,  
Hæc licet humanis impervia sensibus extet,  
Umbras dispelli mentis, noctemque fugari,  
Et sacram sentit succendi pectore flammam.  
Ad me quodnam, ait, improvisum venit ab alto  
Auxilium cœlo? cecidit, lacerumque repepte  
Abscissum est velum, quo mi præcinxerat ante  
Turpis amor cœcos oculos. Eheu misera! ecce,  
Margarita, diu quo te malesuada libido  
Consilii expertem longinquò errore viarum,  
Astrictamque gravi traxit pressamque catena:  
Eccœ voluptatis miserandæ hic fructus acerbus.  
Luxurians animi læto ille in flore juventæ  
Infelix perit; si non extincta supersit  
In me sancta Fides, ruit ille ad tristia regna,  
Infernæque umbras, immortali igne volutus,  
Ut poenas luat æternas: hæc fata manent me,

[ 14 ]

Illi si nota sequar vestigia demens,  
Quamvis dura trahit me consuetudo , probrosos  
In melius vertam mores , & ferrea rumpam  
Quæ me crudeli tenuerunt vincula morsu.  
Me ducit virtutis amor ; lacrymisque rigabo  
Tristibus ora , dolens horrentia crimina vitæ.  
Divina inferri pœnas sceleri exigit ultrix  
Justitia ; ast animus mitis veniæque paratus  
Postulat ignosci , atque iras clementia vincit.  
Me Deus ipse , Deus me dulci tactus amore  
Errantem revocat : mihi præsens & Deus esto  
Auxilium , & spes , & rerum tutela mearum.  
Hæc ait , & relegens celeri vestigia gressu,  
Nec mora , carpit iter , pedibusque amor addidit alas;  
Jamque propinquabat fessa altis mœnibus urbis;  
Subsistit paulum , prostrata sub arbore corpus,  
Et reficit vires , & captat frigoris umbram:  
Hic malus insidias avidus pretendere dæmon,  
Improvisus adest ; mendax hominemque professus  
Incessuque habituque gravem , illam convenit ultrò:  
Audivi crudele tui fatum , inquit , amici;  
Et modo nosco tuas casu lacrymasque , tuumque  
Consilium : lacrymis doleo , doleoque dolore; [est  
Non probo consilium imprudens. Anne omnis adempta

[ 15 ]

Spes fortasse tibi ? remanet tibi rara juventæ  
Gratia ; tu pulchra es forma , specieque venusta;  
Cinget amatorum te copia ; & unus & alter,  
Si velis , ardebit sibi te propriamque locare  
Conjugio stabili , & dextram conjungere dextra.  
Spiritus interno quando hinc atque inde tumultu  
Jactatur , facilem flectit sententia mentem;  
Cum perit internus motus , decrescere oportet  
Sensim virtutem : quoniam tibi spiritus ardet  
Corde novus , facile audax omnia posse videris;  
Posteaquam segnis decrescat pectoris æstus,  
Tu primos repetes mores , sensimque vetusta  
Assuetum per iter te consuetudo reducit.  
Si florem ætatis perdas , formamque ; superstes  
Non erit ulla tibi jam spes tunc temporis , ullum  
Nec tibi erit reliquum rebus solamen in arctis.  
Quæ me tarda senem docet experientia , dixi,  
Crède mihi , dulci tactus pietate : reposta  
Tu mea dicta memor grato sub pectore serva.  
Nec fas plura loqui ; instat jam mihi longius ire.  
Dixerat ; & visus medio sermone relinques  
Humanos , oculi præceps evanuit iœtu.  
Margarita dein tacita cum mente revolvit  
Dicta senis ; sensitque dolos , sprevitque latentes

[ 16 ]

Dæmonis insidias : mihi non , ait , improbe , mendax  
 Verba dabis : te imbellis ego te femina vincam.  
 Durum opus aggredior ; nec ego bene conscientia tantum  
 Sola meis factum tentarem viribus unquam;  
 Sed præsens miseram virtus divina juvabit.  
 Jam jam rumpenda est omnis mora. Te precor , alma  
 O mea spes , mea certa salus , dulcissime Jesu ,  
 Quando vocas , fessisque jubes me surgere rebus ,  
 Tu faveas , oro , auxilioque laboribus adsis.  
 Interea insolito splendescit lumine cœlum ,  
 Et levis aura novum ambrosiae diffundit odorem:  
 Ecce illi Jesus , fulgentem indutus amictum ,  
 Adsistit coram ; qualis vel pulchra resurgit  
 Aurora , aut veluti Oceano Sol aureus exit.  
 Sume animos , inquit , nec te timor occupet ullus ,  
 Margarita ; adero tibi semper ubique locorum:  
 Pergere Cortonam jubeo te protinus , æde  
 Francisci sacra stabilem te ponere sedem.  
 Procidit , ac duplices tollens ad sidera palmas ,  
 Excipit illa Deum : jam te sequor , o bone Jesu ,  
 Te sequor , exclamat , quacumque , per arma , per ignes  
 Me ducas , ubicunque velis me sistere gressum ,  
 Dulcis amor meus , atque novæ mea gaudia vitæ .  
 Tunc Jesus abiens , illi ridentia volvit

[ 17 ]

Lumina ; & obtutu fixus , perfudit amica  
 Lætitia , peccusque immensis viribus auxit.  
 Ac veluti navis , tacito stridore procellæ ,  
 Æquore dum spirant lenes sine murmure venti ,  
 Albentes torquet spumas , & cœrula verrit;  
 Mox littus properans , plenis subit ostia velis ,  
 Atque ibi securam valido premit anchora rostro:  
 Haud aliter posito omni Margarita timore ,  
 Dum levis aura novæ spirat virtutis ab alto ,  
 Cortonam petiit , Francisci advenit in ædes ,  
 Et placidam tenuit sacra statione quietem.  
 O utinam nomen , si quid mea carmina possunt ,  
 Margarita , tuum noscat procul ultima tellus ,  
 Imosque æternum descendat ad usque nepotes:  
 Non me vana trahit famosi gloria vatis ,  
 Nec docta quæro contextam fronde coronam ;  
 Si tibi ego placeam , immortali hac laude superbis  
 Sublimi feriam alti vertice sidera cœli.

Emmanuel Lassala.

VALENTIÆ:  
 EX PRÆLO THOMÆ DE ORGA.  
 CIO.19CCC.  
 SUPERIORUM PERMISSU.